PIO 9. ANNUM PONTIFICATUS SUI 26. 16 KAL. JULII 1871 FAUSTE INGREDIENTI...

Luigi Dalla Vecchia

PIO IX.

ANNUM PONTIFICATUS SUI XXVI

XVI KAL. JULII M.DCCC.LXXI

FAUSTE INGREDIENTI

ELEGIA

Prae cunctis quae tot vidit spectacula seclis,
Spectaclum ipsa, orbis maxima Roma caput,

Nunc majus Tu, Magne Pater, Regum optime, praebes
Quum primi assequeris tempora Clavigeri.

Nulli Pontificum Petri Deus addidit annos,
Hos uni jussit providus ire Tibi.

Cernin'? Laetitia omnis circumfunditur Orbis,
Et Te miraclum grande salutat ovans.

Ah ferus ille est, nec nostro de sanguine cretus
Qui Te non tota diligit ex anima.

« Cuncta Deo similis vultum, vocemque, oculosque,
(Sat vidisse semel) corda animosque rapis.

Corda, animosque rapis, miserorum in rebus egenis
Quum tua largus opum non sinis esse tua.

Aut quum infesta manus turbas molita necemque,
Nec semel, haud poenas persoluit meritas.

Ecquid de Te non mirentur secula, quando
Quae mente Ipse agitas, omnia summa refers?

Communi nec enim terris datus esse videris
  Ritu hominum, Officio Te Deus esse parem

Ingenti voluit, rebusque ruentibus unus
  Ut columen Mundi, praesidiumque fores.

Quo non effrenis sese licentia versat;
  Quod jus, quod sanctum conscelerare timet?

Bacchatur dudum Furiarum maxima terris.
  Quodlibet ausa nefas, ausa negare Deum.

Quid struat heu! monstrum, miseranda Lutetia testis.
  Quae modo passa, animus vel meminisse stupet.

Illa potens armis, luxuque, opibusque superba
  Nunc cinis, et bustum est civibus ipsa suis.

« Discite justitiam moniti, et non temnere Divos »
  Inscriptum videor cernere ruderibus.

Hos tristes inter casus, fraudesque, minasque
  In Te tota sita est sospite nostra salus.

Fulsisse Atlanta ajunt Axem, at verius Orbis
  Atque aevi hujus Atlas dicier Ipse potes.

Sospite Te, haud penitus res haec Romana fatiscet,
  Sospite Te, vigeat Relligionis honor.

Justitiae vindex, custos rectique, piique,
  Unus fata hominum in pristina restitues.

Immo novos per Te dabitur spectare triumphos
Christiadum, nitidos Pax referetque dies.

Vera cano; neque enim fallunt responsa piorum
Pervulgata virûm quos Deus aequus amat.

Quin Divûm simulacra ferunt sua signa dedisse;
Incessum haec visa, haec visa movere oculos.

Tunc tantum, o terrarum amor, o nostrûm decus, o lux!
Tunc tantum caeli debita regna petas.

Tunc tibi thura urent, statuentque altaria gentes,
Et seclo huic nomen Tu, **Pie None,** dabis.

ALOISIUS Can. DALLA VECCHIA Eq.

Il 16 Giugno 1871

SONETTO

Che giorno è questo, a cui pel Mondo tutto
Egual fra tanti secoli non sorse!
Grazie e lodi al Signore, che soccorse
Di cotanta allegrezza il nostro lutto.

Ben la Furia d'inferno, che fa brutto
Di sua bava ogni suol, le man si morse
Or che il gran Veglio in Vaticano scorse
Del maggior Piero ai lunghi dì condutto.

Empie guerre gli mosse, ma quel petto
Ha l'usbergo di Dio, scudo la Fede,
Prodigio in trono, e più se in ceppi stretto.

Fremendo oggi novel trionfo vede:
Il Mondo intero, che in un solo affetto
Per sì **gran giorno** se gli prostra al piede.

IL MEDESIMO